






PARA

CLESIS, ID EST, ADHOR-
tatio ad sanctissimum, ac salu-
berrimum Christianæ philoso-
phiæ studium, ut uidelicet euā-
gelicis ac apostolicis literis le-
gendis, si nō sola, saltem prima
cura tribuatur, Auctore DES.
ERASMO ROTERODA.



APVD SANCTAM COLO
NIAM, ANNO M. D. XXI.



ERASMI ROTE

RODAMI PARACLESIS, ID EST, ADHOR-
TATIO AD CHRISTIANAE PHILOSO-
PHIAE STUDIVM.



LACTAN

TIVS ILLE FIRMIANVS,
optime lector, cuius linguam
unice miratur Hieronymus,
Christianæ religioni patroci-
naturus aduersus ethnicos, cū
primis optat sibi dari eloquen-

Optat elo-
quentiā ef-
ficacem.

tiam, Tullianæ pximam: improbum ratus, opinor,
optasse parem. At ego sane, si quid huiusmodi uotis
proficit, tantisper dum mortales omneis ad sanctissi-
mum ac saluberrimum Christianæ philosophiæ stu-
dium adhortor, ac ueluti classicum canens euoco, ue-
hementer optarim eloquentiam mihi dari, longe ali-
am q̃ fuerit Ciceroni: si minus picturatam q̃ fuit il-
lius, certe multo magis efficacem. Imo si cui unquā
talis contigit dicendi uis, qualem non omnino sine
causa, ueterum poetarū fabulæ subnotarunt in Mer-
curio, qui ceu magica uirga, diuinæque cithara so-
mnū immittit cum libet, & idem adimit, quos uult
ad inferos impellens, ac rursus ab inferis euocans:
aut qualem signarūt in Amphione Orpheoq̃, quo-
rū alter rigida mouisse saxa, alter quercus & ornos

traxisse cithara fingit. Aut qualem Ogmio suo tribuebant Galli, mortales omneis catenulis a lingua in aures infixis, quo uellet circumducenti. Aut qualem Marfyæ fabulosa tribuit antiquitas. Aut certe, ne nimium diu fabulis immoremur, qualem Socrati tribuit Alcibiades, Pericli uetus comœdia, quæ non aures tantum mox peritura uoluptate delinuat, sed quæ tenaces aculeos relinquat in animis auditorum, quæ rapiat, quæ transformet, quæ multo alium dimittat auditorem quàm acceperit. Timotheus musicus ille nobilis Dorios occinens modos, Alexandrum Magnum ad belli studium inflammare solitus legitur. Neque defuerunt olim, qui precaminibus, quas Græci uocant ἐπιδάς, nihil ducerent efficacius. Quod siquod usque esset huiusmodi genus incantamenti, siqua uis harmoniæ, quæ uerum habeat *ἡδονοποιον*, si qua Pitho uere flexanima, eam mihi cupiam in præsentia suppetere, quo rem omnium saluberrimam omnibus persuadeam. Quanquam illud potius optandum, ut CHRISTVS ipse cuius negotium agit, ita citharæ nostræ chordas temperet, ut hæc cantilena penitus afficiat, ac moueat animos omnium. Ad quod quidem efficiendum, nihil opus rhetorum epicherematis, aut epiphonematis. Hoc quod optamus, non alia res certius præstet, quàm ipsa ueritas, cuius quo simplicior, hoc efficacior est oratio. Ac primum quidem non libet in præsentia refricare querelam illam, non omnino nouam, sed heu ni

Veritatis
oratio quo
simplicior,
hoc effica-
cior.

Philoso-
phia Chri-
sti neglecta

Philoso-
phorum gen-
tium peritia

Christiano
rum socor-
dia,

mum iustam, & haud scio an unquam iustiore,
q̃ hisce temporibus, cum tam ardentibus animis in
sua quisq̃ studia mortales incumbant, hanc unam
CHRISTI philosophiam a nonnullis etiam Chri-
stianis rideri, a plerisque negligi, a paucis tracta-
ri, sed frigide: non enim dicam insincere. At in cæte-
ris disciplinis omnibus, quas humana prodidit in-
dustria, nihil est tam abditum ac retrusum, qđ non
peruestigarit ingenii sagacitas: nihil tam difficile, qđ
non expugnarit labor improbus. Qui sit autem, ut
hanc unam philosophiam, non his quibus par est,
animis amplectamur, quotquot ipso etiam cogno-
mine CHRISTI nomen profitemur: Platonici, Py-
thagorici, Academici, Stoici, Cynici, Peripatetici,
Epicurei, suæ quisq̃ sectæ dogmata, tum penitus ha-
bent cognita, tum memoriter tenent, pro his digla-
diantur illi, uel emorituri citius, q̃ auctoris sui patro-
cinium deferant. At cur non multo magis tales ani-
mos præstamus auctori nostro principiq̃ CHRI-
STO? Quis non uehementer foedum censeat Aristo-
telicam profitenti philosophiam, nescire quid uir il-
le senserit de causis fulminum, de prima materia, de
infinito: quæ nec cognita felicem, nec ignorata red-
dunt infelicem. Et nos tot modis initiati, tot sacramen-
tis adacti CHRISTO, non foedū ac turpe putamus
illius nescire dogmata, quæ certissimam omnibus
præstent felicitatem? Nam quorsum attinet hic con-
tentionem exaggerare, cum hoc ipsum impiæ cu-

iudā dementiæ sit, CHRISTVM cum Zenone, aut
Aristotele, & huius doctrinam cum illorum, ut mo-
destissime dicam, præceptiunculis cōferre uelle? Af-
fingant illi suæ sectæ principibus, quantum possunt,
aut quantum liber: certe solus hic e cœlo profectus *Christus.*
est doctor: solus certa docere potuit, cum sit æterna
sapientia: solus salutaria docuit unicus humanæ salu-
tis auctor: solus absolute præstitit, quicquid unq̃ do-
cuit, solus exhibere potest, quicquid promisit. Si qd̃ *Perigrina*
a Chaldæis, aut Aegyptiis afferret, id ob hoc ipsum *placent.*
acrius auemus cognoscere, quod e peregrino sit orbe
deportatum, & pretii pars est e longinquo uenisse,
& sæpenumero in somniis homunculi, ne dicā im-
postoris, tam anxie distorquemur, non solum nul-
lo fructu, sed magno temporis dispendio, ut ne quid
addam grauius: tamen iam hoc ipsum ut nihil acce-
dat, grauissimum ē. At qui sit, ut huiusmodi cupidi-
tas non item Christianos titillet animos, quibus p-
suasum est, id quod res est, hanc doctrinam non ex
Aegypto Syria ue, sed ex ipso uenisse cœlo? Cur nō
ita nobiscum cogitamus omnes: nouum & admira- *Præstantia*
bile philosophiæ genus sit oportet, quod ut traderet *phiæ Chri-*
mortalibus, is qui deus erat, factus est homo: qui *stianæ.*
immortalis, factus est mortalis: qui in corde patris
erat, sese demisit in terras. Magnū quiddam & haud
quaq̃ triuiale sit oportet, quicquid illud est, quod
ille tam admirandus auctor, post tot excellentium
philosophorū familias, post tot insignes prophetas,

docturus aduenerit. Cur non hic pia curiositate singula cognoscimus, disquirimus, excutimus? Præsertim cum hoc sapientiæ genus, tam eximium, ut semel stultam reddiderit uniuersam huius mundi sapientiam, ex paucis hisce libris, uelut e limpidissimis fontibus, haurire liceat longe minore negotio, quàm ex tot uoluminibus spinosis, ex tam immensis, iisque inter se pugnantibus interpretum commentariis, Aristotelicam doctrinam, ut ne addam, quanto maiore cum fructu. Nihil enim hic necesse est, ut tot auxiliis disciplinis instructus accedas. Simplex & cuius paratū est uaticum. Tantum fac afferas pium ac promptū animum, & in primis simplici puraque præditum fide. Tantum esto docilis, & multum in hac philosophia promouisti. Ipsa suppeditat doctorem spiritū, qui nulli sese lubentius impartit, quàm simplicibus animis. Illorum disciplinæ, præterquod quod falsam promittunt felicitatem, multorum ingenia submouent, ipsa uidelicet præceptorum difficultate. Hæc omnibus ex æquo sese accommodat, submittit se paruulis, ad illorum modulum sese attemperat, lacte illos alens, ferens, confouens, sustinens, omnia faciens, donec grandescamus in CHRISTO. At rursum ita non deest infimis, ut summis etiam sit admirabilis. Imo quo longius in huius opes progressus fueris, hoc longius illius maiestate submoueris. Paruis pusilla est, magnis plus quàm maxima. Nullam hæc ætatem, nullum saxum, nullam fortunam, nullam reicit conditi

Quibus instructum oportet esse, qui Christianam philosophiam discere cupiat.

Facilitas.

onem. Sol hic non perinde communis & expositus
est omnibus, atq; CHRISTI doctrina. Non arcet
omnino quentq;, nisi quis semet arceat, ipse sibi inui
des. Vehementer enim ab istis dissentio, qui nolint
ab idiotis legi diuinas literas, in uulgi linguam trā
fusas, siue quasi CHRISTVS tam inuoluta docue
rit, ut uix a pauculis Theologis possint intelligi: siue
quasi religionis Christianæ præsidium in hoc situm
sit, si nesciatur. Regum mysteria celare fortasse sati
us est, at CHRISTVS sua mysteria quāmaxime cu
pit euulgari. Optarim ut omnes mulierculæ legant
euangelium, legant Paulinas epistolas. Atq; utinā
hæc in omnes omnium linguas essent transfusa, ut
nō solum a Scotis & Hybernis, sed a Turcis quo
q; & Saracenis legi cognosciq; possint. Primus cer
te gradus est, utcunq; cognoscere. Esto riderēt mul
ti, at caperētur aliquot. Vtinam hinc ad stiuam ali
quid decantet agricola, hinc nonnihil ad radios su
os moduletur textor, huiusmodi fabulis itineris tæ
dium leuet uiator. Ex his sint omnia Christianorū
omnium colloquia. Tales em̄ ferme sumus, quales
sunt quotidianæ nostræ confabulationes. Assequat
quisque qđ potest, exprimat quisq; qđ potest. Qui
posterior est, nō inuideat præcedenti, qui prior est,
inuitet sequentem, nō desperet. Cur p̄fessionē oīum
communem ad paucos contrahimus? Neq; em̄ cō
sentaneum est, cū baptismus ex æquo cōis sit Chri
stianorū oīm, in quo prima Christianæ philosophiæ

Ab idiotis
etiā legi de
bent diuine
literæ.

Vere The-
ologus.

professor est, cum sacramenta cætera, denique cum præmiū illud immortalitatis ad oēs ex æquo pertineat, sola dogmata in pauculos istos esse relegāda, quos hodie uulgius Theologos aut Monachos uocat, quos ipsos tamen, tametsi minima quæpiam portio sunt ad populum Christiani nominis, tamē hos inquam ipsos optarim maiorem in modū esse quod audiunt. Vereor enim ne inter Theologos reperire liceat, qui multum absint a suo titulo, hoc est, qui terrena loquantur non diuina, & inter Monachos qui CHRISTI paupertatem & mundi contemptum profitentur, plusquā mundum reperiās. Is mihi uere Theologus est, qui non syllogismis arte cōtortis, sed affectu, sed ipso uultu atque oculis, sed ipsa uita doceat aspernandas opes, Christiano non esse fidendum huius mundi præsidij, sed totum oportere pendere de coelo, non esse retaliandam iniuriam, bene precandum male precantibus, bene merendum de male merentibus, bonos omnes uelut eiusdem corporis membra diligendos ac fouendos ex æquo, malos tolerandos, si corrigi nequeant, qui suis exuuntur bonis, qui depelluntur possessionibus, qui lugent, hos beatos esse non deplorandos, mortem optandam etiam piis, ut quæ nihil sit aliud quā traiectus ad immortalitatem: hæc inquam & huiusmodi, si quis afflatus spiritu CHRISTI prædicet, inculcet, ad hæc hortetur, inuitet, animet, is demum uere Theologus est, etiamsi sessor fuerit aut textor.

Hæc si quis & ipsis præstet moribus, is denique ma-
 gnus est doctor. Qua ratione intelligat angeli, for-
 tasse subtilius differat alius, uel non Christianus, at
 illud persuadere, ut hic puri ab omnibus inquina-
 mētis uitam exigamus angelicam, id demum Chri-
 stiani Theologi munus est. Qd si quis obstrepet, Munus the-
ologi Chri-
stiani.
 hæc esse crassula, & idiotica, nihil aliud huic respon-
 derim, nisi quod hæc crassa CHRISTVS ꝑcipue
 docuit, hæc inculcant apostoli, hæc quantūuis idio-
 tica, tot germane Christianos, tot insignium marty-
 rum examina nobis prodiderunt. Hæc inquam il-
 literata, ut ipsis uidetur, philosophia, summos orbis
 principes, tot regna, tot gentes, in suas pertraxit le-
 ges, id quod nulla tyrannorum uis, nulla Philoso-
 phorum poterat eruditio. Neq; uero repugno, quo-
 minus sapientiam istam, si uidetur, loquantur inter
 perfectos. At hoc certe nomine consoletur sese hu-
 mile Christianorū uulgus, quod istas subtilitates Apostoli
subtilitates
non docue-
runt.
 an sciuerint apostoli, uiderint alii, certe non docue-
 runt. Hæc inquam plæbeia, si præstarēt pro sua for-
 te principes, si in concionibus inculcarent sacerdo-
 tes, si pueris instillarent ludimagistri potius quam
 erudita illa, ex Aristotelis & Auerrois deprompta
 fontibus, non sic perpetuis pene bellis tumultuare-
 tur undiq; res Christiana, non tam insano studio,
 per fas nefasque congerendi diuitias feruerent oīa,
 non tot litibus ubique perstreperent sacra pariter
 ac prophana. Denique non titulo tantum & cere-

id ē, germa-
num, hoc ē,
uerum.

moniis differemus ab iis qui CHRISTI philosophi-
am non profitentur. Siquidem in his tribus homi-
num ordinibus præcipue situm est Christianæ reli-
gionis uel instaurandæ uel augendæ negotium, in
principibus, & qui horum gerunt uices magistrati-
bus: in episcopis, & horum uicariis, sacerdotibus: &
in iis qui primam illam ætatem ad omnia sequacē,
instituunt. Quos si omisso suo negotio contingat ex
animo conspirare in CHRISTVM, nimirum uide-
remus haud ita multis annis uerum quoddam, ut &
Paulus inquit, ^{γνώσις} Christianorum genus passim
emergere, quod CHRISTI philosophiam, non cere-
moniis tantum & propositionibus, sed ipso pecto-
re, totaq; uita referret. His armis longe citius pelli-
cerentur ad CHRISTI fidem, Christiani nominis
hostes, q̃ minis aut armis. Vt om̃ia iungamus præ-
sidia, nihil ipsa ueritate potētius. Platonius non est,
qui Platonis libros non legerit: & Theologus est,
non modo Christianus, qui CHRISTI literas non
legerit. Qui diligit, inquit, me, sermones meos ser-
uat: hanc ipse notam præscripsit. Proinde si uere ex
animo sumus Christiani, si uere credimus illū e cœ-
lo missum, ut ea nos doceret, quæ philosophorum
sapientia non poterat: si uere expectamus ab eo, qđ
nulli principes, quantumuis opulenti donare que-
unt: cur est nobis quicquam huius literis antiqui-
us? Cur omnino quicquam uidetur eruditū, quod
ab huius decretis diffidet? Cur in his adorandis li-

teris, idem, ac pene dixerim plus, nobis p̄mittimus,
q̄ in Cæsareis legibus, aut medicor̄ libris sibi per-
mittunt interpretes prophani: ut perinde quasi in re
ludicra uersemur: ita quicquid in buccam uenerit,
commentemur, detorqueamus, inuoluamus. Coele-
stia dogmata, ceu Lydiam regulā, ad nostram per-
trahimus uitam: & dum omnibus modis fugimus,
ne parum multa scisse uideamur, quicquid usquam
est prophanarum literarum huc conuehentes, id qđ
est in Christiana philosophia præcipuum, non di-
cam corrumpimus: sed, quod negari non potest, ad
paucos homines contrahimus rem, qua CHRIS-
TUS nihil uoluit esse communius. Hoc philoso-
phiæ genus in affectibus situm uerius, quam in syl-
logismis, uita magis est quam disputatio, assilatus po-
tius quam eruditio, transformatio magis quam ra-
tio. Doctos esse, uix paucis cōtingit: at nulli non li-
cet esse Christianum, nulli non licet esse pium: ad-
dam audacter illud, nulli nō licet esse Theologum.
Iam facile descendit in animos omnium, quod ma-
xime secundum naturam est. Quid autem aliud est
CHRISTI philosophia, quam ipse renascentiam
uocat, quam instauratio bene conditæ naturæ: Pro-
inde quanquam nemo tradidit hæc absolutius, ne-
mo efficacius quam CHRISTUS, tamen permul-
ta reperire licet in ethnicor̄ libris, quæ cū huius do-
ctrina cōsentiant. Nulla fuit unq̄ tam crassa factio
philosophiæ, q̄ docuerit pecuniā hominē reddere

felicem: nulla tam impudēs, quæ in uulgaribus istis honoribus, aut uoluptatibus finem boni constituerit. Viderunt Stoici, neminem esse sapientem, nisi bonum uirum: uiderunt, nihil esse uere bonum aut honestum, præter ueram uirtutem: nihil horrendū aut malum, præter unam turpitudinem. Iniuriam non esse pensandam iniuria, multis modis apud Platonem docet Socrates: item cum immortalis sit anima, nō esse deplorandos, qui cum fiducia bene actæ uitæ hinc demigrant in uitam feliciorem: præterea animam omnibus modis abducendam ab affectibus corporis, & ad ea traducendam, quæ uere sunt, cum non uideantur. Nullam rem nobis suauem esse posse, quæ non aliquo modo contemnatur, in politicis scripsit Aristoteles, una uirtute excepta. Nihil in uita homini suaue esse posse, nisi adsit animus nullius mali sibi conscius, unde ceu fonte scatet uera uoluptas, fatetur & Epicurus. Quid quod magnam huius doctrinæ partem præstiterit nō pauci, præcipue Socrates, Diogenes, & Epictetus? At eadem cum tanto plenius & docuerit & præstiterit CHRISTVS, an non prodigii simile, hæc a Christianis uel ignorari uel negligi, uel etiam rideri? Si sunt quæ propius pertinent ad Christianismum, his antiquatis, illa sequamur: sin hæc sola sunt, quæ uere Christianum possint efficere, cur hæc propemodū magis pro obsoletis & abrogatis habemus, q̃ libros Mosaios? Primum autem est scire quid docuerit, proximū est

præstare. Neq; enim ob id, opinor, quisq; sibi Chri-
stianus esse uideatur, si spinosa, molestaq; uerbor;
perplexitate, de instâtibus, de relationibus, de quid-
ditatibus ac formalitatibus disputer: sed si qđ CHRI-
STVS docuit & exhibuit, id teneat exprimareq;. Nō
quod horum studium damnem, qui in argutiis hu-
iusmodi non sine laude exercuerunt ingenii sui ui-
res: nolim em̃ offendi quenq;, sed quod existimem,
& uere, ni fallor, existimo, puram ac germanā illam
CHRISTI philosophiam, non aliunde felicius hau-
riri, q̃ ex Euangelicis libris, q̃ ex Apostolicis lite-
ris, in quibus si quis pie philosophet, orans magis
q̃ argumentas, & trāformari studens potius q̃ ar-
mari, is nimirum comperiet nihil esse quod ad ho-
minis felicitatem, nihil quod ad ullam huius uitæ
functionem pertineat, quod in his non sit traditum,
discussum, & absolutū. Siue quid discere cupimus,
cur alius auctor magis placet q̃ ipse CHRISTVS?
Siue uiuendi formam requirimus, cur aliud nobis
prius ē exemplū, q̃ Archetypus ipse CHRISTVS?
Siue pharmacum aliquod aduersus molestas animi
cupiditates desideramus, cur alibi putamus remedi-
um esse præsentius? Siue cupimus residem ac lan-
guescentem animum expergescere lectione, quæso
ubi reperias igniculos æque uiuos & efficaces? Si-
ue uisum est animum ab huius uitæ molestiis auo-
care, cur aliæ magis placent deliciæ? Cur statim ma-
lumus ex hominum literis, CHRISTI sapientiam

Hæc argu-
ta faciūt, at
nō chrīanū

Christus
non minus
nobis præ-
sens est in
euangelicis
litteris, q̃ cū
uiueret.

discere q̃ ex ipso CHRISTO: qui quod pollicitus
est se semper nobiscum fore usq; ad consummatio-
nem seculi, in his literis præcipuæ præstat, in qui-
bus nobis etiamnum uiuit, spirat, loquitur, pene di-
xerim efficacius, q̃ cum inter homines uersaretur.
Minus uidebant, minus audiebant Iudæi, q̃ tu ui-
des, & audis in Euangelicis literis, tantum ut oculos
& aures afferas, quibus ille cerni & audiri possit.
Quid tandem hoc rei est? Literas ab amiculo scri-
ptas seruamus, exosculamur, circumferimus, iterum
atq; iterum relegimus: & tot sunt milia Christiano-
rum, qui cū alioqui docti sint, Euangelicos & Apo-
stolicos libros, ne legerint quidem unq; in omni ui-
ta. Mahumetæi sua tenent dogmata, Iudæi & hodie
ab ipsis cunabulis suum ediscunt Moysen. Cur nos nō
idem præstamus CHRISTO? Qui Benedicti profi-
tentur institutum, regulā ab homine, eoq; pene idi-
ota, & idiotis scriptā, tenent, ediscunt, imbibunt. Qui
Augustiniani sunt ordinis, auctoris sui regulam cal-
lent. Franciscani Francisci sui traditiunculas ado-
rant, amplectuntur, & quoquo terrarum se contule-
rint, secum circumferunt, tutos se non credunt, nisi li-
bellus adsit in sinu. Cur illi plus tribuunt regulæ ab
homine scriptæ, q̃ uniuerſi Christiani suæ regulæ,
quam om̃ibus tradidit CHRISTVS, quam omnes
ex æquo professi sunt in baptismo. denique qua (ut
sexcentas etiam addas) nulla possit esse sanctior? At-
que utinam fiat, ut quemadmodum Paulus scripsit,

Mosi legem non fuisse gloriosam præ gloria succe-
dētis Euangelii, ita Christianis omnibus Euangelia
& Apostolorū literæ ita sanctæ habeantur, ut hæc
præ illis non uideantur esse sancta. Quid Alberto
magno, quid Alexandro, quid Thomæ, quid Aegi-
dio, quid Ricardo, quid Occā alii uelint tribuere,
per me sane cuiq; liberum erit: nolim enim cuiusq;
imminuere gloriam, aut cum inueteratis iam homi-
num studiis dimicare. Sint illa quantumuis erudita,
quantūuis SVBTILIA, quantūuis si uelint SERA-
PHICA, hæc tamen certissima fateantur oportet.
Paulus diiudicari uult spiritus prophetarum, num
ex deo sint. Augustinus omnes omnium libros cū
iudicio legens, nihilo plus iuris postulat & suis. In
his solis literis, & quod non assequor, tamen adoro.
Hunc auctorem nobis non schola Theologorum,
sed ipse pater cœlestis, diuinæ uocis testimonio cō-
probauit, idque bis: primum ad Iordanem in bap-
tismo, deinde in monte Thabor in transfiguratione:
Hic, inquit, est filius meus dilectus, in quo mihi cō-
placitū ē, ipm audite. O solidam auctoritatē, uereq;
(ut isti uocant) IRREFRAGABILEM. Quid est,
ipsum audite? Nimirum, hic unicus est doctor, hu-
ius unius discipuli sitis. Attollat studiis suum quis-
que quantum uolet auctorem, hoc de uno citra ex-
ceptionem dictum est CHRIS TO. In hunc pri-
mum descendit columba, paterni testimonii con-
probatrix. Huius spiritum proxime refert Petrus,

cui summus ille pastor oues suas semel iterum ac tertio pascendas commisit, pascendas autem haud dubium quin Christianae doctrinae pabulo. Hic in Paulo ueluti renatus est, quem ipse uocauit organum electum, & insignem sui nominis preconem: Iohannes quod e sacrosancto illo pectoris fonte hauserat, id suis expressit literis. Quid quaeso simile in Scoto? (nolim id contumeliae causa dictum uideri) quid simile in Thoma? Quamquam illius ingenium admiror, huius etiam ueneror sanctimoniam. Cur non in his tantis auctoribus philosophamur omnes? Quin hos sinu circumferimus, hos semper habemus in manibus? quin in his uenamur, scrutamur, disquirimus assidue? Cur maior uitae portio datur Auerroi, quam Euangelis? Cur tota pene aetas in hominum decretis, & inter se pugnantibus opinionibus conteritur? Iam uero sint illa sane, si libet, sublimium Theologorum: at in his certe sit futuri quondam magni Theologi tyrocinium. Quotquot in baptismo iurauimus in uerba CHRISTI, si tamen ex animo iurauimus mox inter ipsos parentum complexus, & nutricum blanditias, CHRISTI dogmatis imbuamur. Nam & altissime insidet, & tenacissime haeret, quod primum rudis illa animi testula combiberit. CHRISTVM prima sonet balbuties, ex huius euangelis prima formetur infantia: quem ita cum primis tradi cupiam, ut & a pueris ametur. In his deinde uersentur

studiis, donec tacitis auctibus adolescant in uirum
robustum in CHRISTO. Aliorum literæ sunt eius
modi, ut non parum multos poenituerit insumptæ
in illis operæ: ac sæpenumero fit, ut qui per omnem
uitam pro tuendis illarum decretis ad mortem usq;
depugnarunt, in ipsa morte ab auctoris sui factione
descendant. At felix ille quem in hisce literis meditā-
tem mors occupat. Has igitur toto pectore sitiamus
omnes, has amplectamur, in his iugiter uersamur,
has exosulemur, his demum immoriamur, in has
transformemur, quandoquidē abeunt studia in mo-
res. Qui consequi non potest (quis autem id nō po-
test, si modo uelit) is saltem adoret hasce literas, ceu
thecam illius diuini pectoris. Si quis ostēdat CHRI-
STI pedibus impressum uestigium, q̄ procumbi-
mus Christiani, q̄ adoramus. At cur non potius ui-
uam illius & spirantem imaginem in hisce uenera-
mur libris? Si quis CHRISTI tunicā exhibeat, quo
non terrarum prouolaturi simus, ut eam osculari li-
ceat. Atqui ut totam illius supellectilem proferas,
nihil erit, quod CHRISTVM expressius ac uerius
repræsentet, q̄ Euangelicæ literæ. Ligneam aut sa-
xeam statuam, amore CHRISTI, gemmis auroq;
decoramus. Quin hæc potius auro gemmisq;, & si
quid his pretiosius, insigniuntur, quæ tanto præsen-
tius CHRISTVM nobis referunt, q̄ ulla imaguncu-
la. Siquidē illa, quid aliud q̄ corporis figuram ex-
primit: si tamen illius quicquam exprimit: at hæc tibi

Literæ hu-
manæ.

Diuinæ

In euangeli-
cis & apo-
stolicis lris
spirans &
uiua Chri
imago.

sacrosanctæ mētis illius uiuam referunt imaginem
ipsumq; CHRISTVM loquentem, sa-
nantem, moriētem, resurgentem,
denique totum ita præsen-
tem reddunt, ut mi-
nus uisurus sis,
si coram
ocu-
lis conspici-
as.

Apud Eucharium Ceruicorum Agrippinatem,
tertio Nonas Iulij.



